DE OBSTACULIS QUAE PHARMACOLOGIA E PROGRESSUI ADVERSANTUR...

Adriano Noale



2x2

8

DE OBSTACULIS

QUAE

PHARMACOLOGIAE PROGRESSUI

ADVERSANTUR

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

OBTINENDOS

CUM ADNEXIS THESIBUS

PUBLICE DEFENDEBAT

MENSE NOVEMBRIS ANNI MDCCCXXVII.

HADRIANUS NOALE

DE VALLE MARENI

EX PROVINCIA TARVISINA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVII.

Digitized by Google

INGENIO · DOCTRINAE · ET · ANIMI · DOTIBUS

CLARISSIMI · VIRI

JOSEPHI · TORRESINI

MEDICINAE ET CHIRURGIAE · DOCTORIS

IN · CAESAREA · REGIA · UNIVERSITATE · PATAVINA

OPHTALMIATRIAE · PROFESSORIS · P · O ·

INSTITUTI · CLINICI · OCULARII

DIRECTORIS · SOLERTISSIMI

PRAECEPTORIS · AMANTISSIMI

DEVOTI · ANIMI · GRATAEQUE · VOLUNTATIS

MNEMOSYNON

D · D · D ·

AUCTOR · OBSERVANTISSIMUS

Quum juvenis eram, et in arte medica adhuc rudis adversus unumquemque morbum viginti ad minimum remedia possidebam; nunc vero postea quam in usu medicinae consenuerim, viginti et amplius morbos novi, quorum ne unum quidem remedium habeo. Rettclife.

Medicam scientiam vix primoribus labris attigi arbitratus sum mare nullis circumscriptum terminis plurimisque periculis refertum trajicere teneri: nec mea me fefellit opinio. Ars longa, vita brevis, apollineo afflatus spiritu clamat Hippocrates, Cicero autem asserere non dubitavit, quod homines ad Deos nulla re propius accedant, quam salutem hominibus dando. Jure profecto ac merito caelitus missam hanc artem praedicarunt veteres; ast haec medicinae caelestis origo quamplurimis scatet difficultatibus, et tantis implicatur controversiis, ut facili negotio tirones e recta declinent via, nisi per dubios artis anfractus filum amicum altera largiatur Ariadna: ad metam enim comparandam, quo ad altiora spectat artis index, eo magis arduum est iter. Quaenam igitur tenebricosam hujusce noctis caliginem fax abiget? Illustrium virorum experientia et observationes.

Medicina (1) tum in morborum notitia, tum in

(1) Lieutand synopsis universae praxeos medicae.

remediorum facultatibus versatur; haec vero postrema adeo est medicis necessaria, ut nisi illam pulcre calleant, inepta omnino eorum ars perpendatur. Revera quomodo opem ii afferent ullam, qui auxilia quibus uti debent, ignorant? Licet morborum naturam penitus cognitam ac perspectam habeant, nihil sane contra illos morbos moliri tuto possunt, ita ut illorum scientia aliqua mortis meditatio existimetur.

Nostra hac aetate, uti omnes fere disciplinae in tanta cognitionum amplitudine ac rerum inventarum praestantia, ita quoque et medicina summum splendoris fastigium pertigisse judicatur. Hinc factum est, quod illarum rerum investigationi sedula opera adhibita fuerit, quibus prope innumerae corporis aegritudines debellarentur. Huic itaque studii generi tam alacri vacarunt animo Igeae cultores, ut copiosissimam remediorum segetem collegerint, qua bene perspecta satis superque patet, providam naturam morbosae hominum conditioni luculenter consuluisse.

Tantum enim abest ut medicamina deficiant, ut potius horum doctrina sua ipsa redundantia labi, ac paene corruere videatur: nil vetat praeterea existimare nimium iis fidens, quae in materiae medicae scriptis notata fuere, omnes fere morbos certo facilique negotio sanari posse.

Ast quamquam habita temporum ratione in naturae studio quamplures emunctae naris doctissimi viri processerint, ac omni diligentia res jam inventas perscrutantes, multa inde nova eruerent, et ad multo majora in posterum consequenda

sternerent viam; attamen in tanta disciplinarum omnium luce ea medicinae pars, quae de remediorum facultatibus agit densis adhuc tenebris, et contrariis stipatur opinionibus incertoque nutat pede ita, ut perfectio a materia medica longius distare statui possit. Ex hujusmodi sententiarum oppositione factum est, ut nonnulli cogitaverint boni ne an mali plus attulerit hominibus ars medica, et ut multi etiam sibi persuaserint medicinam prorsus vanam et futilem esse, quin imo valde nocere quum animum a veris cogitationibus, quae experientia potissimum disci debent, avocet, fictamque scientiam substituat.

Et revera cum nova in lucem proferantur remedia, quod saepissime contingit, illa caeco impetu plerique amplectuntur, ac in singulos morbos veluti certa auxilia designant illorum virtutes testimoniis, periclitationibus observationibusque fulcitas in medium praeseferentes, quae postea attentiori effectuum animadversione nequaquam cum veritate consentire deprehenduntur, et quod majus est remedia, quae ad hunc illumve morbum veluti certa a suis inventoribus praedicantur, ac propria experientia confirmata sunt, longe diversos effectus edunt, cum in usum deducuntur ab aliis, nam modo noxia, modo irrita experta fuere.

Quibusnam igitur ex causis haec in materia medica proficiscitur incertitudo, quin imo turpissima discrepantia?

En argumentum quod mihi aliquo modo summatim evolvendum proposui, ut medicinae can-

240

didatus academico satisfacerem officio. Perarduum sane munus, meisque impar humeris suscipiam; sed quod rerum multiplicium occupatio, et potissimum exiguae mei ingenii vires praestare nequeunt, ad id per voluntatem propius accedere studeam. Quapropter in spem adducor, humanissimi Professores, quod tenuitatem meam vestra sustineatis gratia, quam semper in studiorum meorum curriculo expertus sum, cujusque ope aurae secundae ad instar optatum in portum pergere valeam.

In medicaminum usu atque praescriptione eo praesertim res vergere opinor, ut neutiquam praeoccupato animo perpendantur auctorum doctrinae, periclitationes, historiarumque prolatarum descriptiones. Plura sane de materia medica prostant opera mineralium, plantarum ac animalium descriptionibus referta. Innumera porro sunt mineralia, quae suppeditant telluris superficies, ejusque patefacta viscera ad multiplices usus medicos comparata; crescit in dies vegetabilium numerus, nec minoris est momenti animalium familia, quae tutiorem atque animali oeconomiae affiniorem medicaminum copiam praebet. Ex hoc triplici fonte remedia depromuntur, quae non solum simplicia et multifarie composita exhibentur; sed etiam variis subjiciuntur elaborationibus chemicis ac pharmaceuticis, ut novae dein emergant substantiae peculiaribus viribus pollentes. Discussis interim ignorantiae tenebris ex artium ac disciplinarum omnium incremento non pauca mutuata ad praestantiorem gradum evecta est ma-

teria medica. Chemici enim per analysim corpora in sua elementa dissolvando medicas illorum facultates siscitati sunt principia nonnulla segregando, quae ceteris praestare, et in quibus specialem vim inhaerere visum fuit, ut patet in alkalibus plurium substantiarum paucis abhinc annis detectis. Processu temporis mathematicae et physicae disciplinae inclaruerunt, et medici hisce innixi notionibus morborum varietates, et diversas remediorum actiones ac potestates explicare studuerunt. Ast hippocraticam methodum nonnulli fastidientes, et nimia indagandi sciendique cupiditate illecti per tenebricosam hypothesium caliginem vagantes e recto aberrarunt tramite. Philosophorum decepti illecebris ad subtiliores de rerum natura cogitationes animum dederunt, et quasi naturae imperium dedignati experientiae necessitatem obliti fuerunt. Speciosiori tunc incedere gradu visa est ars salutaris, sed ad morbos cognoscendos fugandosque ineptior evasit: culpae enim quasi tribuebatur ipsam naturam audire propriamque rationem, atque experientiam consulere.

En causa princeps, ex qua, ni fallor, et aliae quamplures baud minoris momenti necessario proficisci debuerunt, unde remediorum doctrina lente admodum progressa est. Et revera non pauci extant auctores, quorum scripta magis ingenii solertiam quam accuratam inter praxim observationem sapiunt, inutilem ac perniciosam operam ludendo, nam minus cautis aditum satis amplum ad errores patefecerunt. Hi enim sui potius studuerunt admirationem inferre, quam scientiam ipsam in

melius provehere, et tali pacto haec ingeniorum nutu mutabilis novam fere quotannis faciem induit: hac pariter ratione systemata, quae semper medicam artem sunt aggressa, corruerunt.

Galeni etiam tempore nimium subtiles exquisitaeque indagines damnabantur tanquam medendi usui non modo supervacuae, sed saepissime etiam noxiae; nam praeclariora ingenia tantum otii studiique practicis observationibus, quibus medicaminum scientia perfici deberet incassum consummarunt, et inde fit, ut qui alicui indulgent systemati ita praeconceptae haereant opinioni, quod contrariae sententiae sectatores arguant et criminentur, unde acres controversiae, et novae semper exsurgunt dimicationes.

Vero enimvero (1) quid sperandum ab iis, quorum mens licet perspicax, tamen nimis imaginosa quaedam in deliciis habet, quae medicam scientiam prorsus dedecent (2)? Pathologiae studium hi posthabentes, et paucis vagisque observationibus contenti remediorum facultates per vim ad proprias opiniones accommodarunt universam rerum naturam, ut ita dicam, proprii ingenii imperio subjicientes. Nihil est profecto quod aliquo sub aspectu, et nonnullis faventibus circumstantiis humana mens tueri nequeat; ast si fundamenta non satis firma sint, vel a veritate aliena,

(1) Brera in praefat. ad Institut. med. pract. Jo. Bapt. Burserii

(2) Dalla Decima De facul. remediorum recte investigand. specimen.

error irrumpit, qui in re medica maximi est semper momenti. Tali pacto observationibus taedio affecti medicinae cultores ab ea declinarunt via, quae veritatis est magistra, nescii quod humana intelligentia certis quibusdam finibus circumscribitur, quos si ultra progrediatur, falsa et inania carpit. Ex hac fonte damna innumera manarunt. Etenim ex superficiali et manca effectuum contemplatione et ex nonnullis experimentis oscitanter peractis doctrinae generales, vagae et falsae in lucem prodierunt. Minime ad trutinam revocatum fuit, quod morbi nonnulli forma congruentes, natura vero differant, et contra; quare remedia in hisce morbis eumdem effectum gignere nequeunt, ut videre est de tartaro emetico, et de opio. Neglecta fuerunt morborum stadia, quae maximi sunt facienda in remediorum eventu: non eadem est profecto corporis conditio cum morbus incipit, increscit, sistit, et ad finem vergit; ac proinde ab admotis remedus corpus diversimode afficiatur oportet. Non rita fuerunt perpensa aegrorum natura, loca in quibus versantur, illorum aetas, sexus, peculiaris conditio, consuetudines, vitae genus, animi affectiones, morbi praegressi, anni tempestates, aeris qualitates, morbi eo tempore, ac eo in loco praevalentes, corporis partes, quibus medicamenta admoventur, eorum forma, copia et cum aliis conjunctio, si stomacho jejuno vel post cibum, si mane vel vespere, si noctu vel de die, quae omnia probe, ac sedulo sunt notanda. Hac totidem circumstantiae a praeclarissimo Dalla Decima aequa lance fusius

fuerunt perpensae, ex quarum negligentia remediorum disciplina densis adhuc velatur tenebris.

Ex allatarum considerationum incuria dissimiles, quoad remediorum facultates, enasci debuerunt effectus. Ratio quae inter vitalitatem et varios stimulos intercedit non omnibus hominibus, neque omnibus aetatibus eadem est; sed hac in re homines alii ab aliis non mediocriter differunt. Praeterea rerum consuetudo, climata, morbi praegressi, officia, et hoc genus alia ita mutare possunt primitivam vitalitatem, stimulorumque proportionem, ut fere novam induant naturam, ac communium potentiarum actionem, minime aeque sustineant, et hinc a similibus stimulorum viribus dissimili modo afficiantur. Quapropter idem ipsum medicamentum, quod in plerisque morborum generibus quamdam facultatem praesefert, in nonnullis adhibitum aliter se gerit, ac a naturali suo ingenio modo plus minusve deficere videtur, ita ut vel alacrius, vel segnius agat, vel diversam facultatem prorsus edat. Non ne dantur aegri qui magnam opii et cicutae copiam sine detrimento sustinent, et in nonnullis morbis praecipue inflammatoriae indolis tartarum emeticum vulgarem suam facultatem fortasse non ammittit? Neminem fugit quod ex eadem remedii quantitate alias nullus conspicuus effectus observatur, alias alvi dejectiones contingant, alias urinae profluvium. Actio ipsa medicaminum physico-chemica ex vitalitatis diverso aut adverso nisu nonnihil mutatur; ita si substantia aliqua medicamentosa parti majori irritabilitate ac sensibilitate praeditae admoveatur,

ejus actio latius ad universum corpus dispergitur, et suae virtutis specimen exhibet: ex peculiari hinc corporis conditione vario modo medicamina suas exerere possunt facultates. Ex diversa porro alicujus remedii quantitate, vel cum aliis rebus conjunctione illius virtus non raro minuitur vel augetur, vel aliquo alio modo mutatur. Ita tartarum emeticum refracta dosi usurpatum sudorem ciet, si vero majori copia sumetur emesim promovet: ita opium cum ipecaquana, et alkali aliquo conjunctum vim narcoticam ammittit sudoriferam adipiscendo, et acidum cum alkali consociatum, facultatibus instruitur saepenumero abhorrentibus ab iis, quibus separatim praedita erant componentia. Non desiderantur medicorum praescriptiones ingredientibus saepe mutuo colluctantibus redundantes, quod sane minus eorum scientiam, quam imperitiam prodit. Aliqua pariter remediorum actionis varietas locum habet relate ad tempus quo sumitur remedium: vespere enim nonnihil perturbationis edest, mane contra omnia in majori tranquillitate degunt; ita remedia vacuo ventriculo sumpta totam eorum potestatem exerunt; contra si cibis repletum sit, hooce viscus cum hisce miscetur, indeque pro ciborum differentia et copia vis medicatrix modo adjuvatur, modo minuitur, et non raro subvertitur.

Certum est, ait Etmulerus (1), omnia medicamenta pati aliquam plus minusve conspicuam alte-

(1) Etmul. in suo Epitome totius medicinae.

rationem in stomacho, et in primis viis, unde etiam plus minus infringantur adeo ut exinde diversa ejusdem remedii in eodem etiam subjecto sit operatio, eo magis in distinctis subjectis prout succorum in primis viis major minorve est alterandi potentia. Leges chemicae generatim parum congruunt cum iis quae animali oeconomiae ac vitalitati praesunt.

Quoad vero remediorum tentamina in nonnullis animantium generibus haud multum concludi potest: nam ob dissimilem partium oeconomiam aliquando rerum expertarum effectus nonnihil invertuntur, ac prorsus diverse moderantur. Non ne apium petroselinum psittacos interimit, quod revera nostris in mensis gratum et innocens efformat condimentum? E contra conio maculato, ac euphorbiis impune pascuntur caprae helleboro coturnices, quae substantiae perniciosam profecto exerunt actionem in humano organismo.

Multa inde plano inutilia et etiam noxia extiterunt remedia, quae in determinatos morbos specifice agere statuebantur, quaeque diu in summo honore habita fuere. Hujusmodi enim agendi ratio, quae non nisi in certo quodam morbo, ac sub definita aliqua corporis conditione in aperto venit, cum fusius quam par erat diffunderetur evenit, quod nimium arctis circumscriptae fuerint terminis veterum medicorum perquisitiones, qui ab empiricis notitiam acquirentes inconsulto in eamdem ingressi sunt viam, eorumque sententiis religiose addicti, nullam operam dedere, ut istorum remediorum facultates periculis rite institutis

probarent, atque vera a falsis secernerent, unde uberrima stetit plurimorum errorum scaturigo.

Silentio praeteream Paracelsi et Helmontii deliramenta, qui remedii cujusdam ope nestoreos annos sibi aliisque promiserunt. Sed nostris etiam hisce temporibus hujusmodi indolis prodigia minime desiderantur. Ita cicutam cancrum sanare omnino posse clarissimi viri judicarunt, inter quos eminet Stork, cujus sententia magno historiarum apparatu suffulta apparuit; ast temporis progressu hujusce remedii virtus retro fluxit. Quid dicam de aliis plantis virosis contra morsus canis rabidi, et nuperrime de alkaliibus corticis peruviani contra febres perniciosas a nonnullis ut certissimum remedium, nescio quonam felici eventu, pervulgatis? Nemo pariter inficias iverit corticem peruvianum ad intermittentes febres valere; sed ex hoc ipso divino remedio effectus aliquando perstant longe ab illis discrepantes, qui ab ejusdem administratione produci plerumque solent. Forsan ex praxi satis perspicuum est, vel saltem aliqua probabilitate argui potest (1) hunc ipsum corticem, praeter facultatem antifebrilem, vi contrastimulanti potius, quam tonica pollere ex eo quod felici cum eventu in usum deducitur antiphlogisticae methodo consociatus. Si hujusce aliorumque medicaminum agendi ratio attento animo perpensa fuisset, conditiones patefierent, quibus varietates istae certis coercerentur legibus.

(1) Tommasini dell' infiam. e feb. continua Capit. X. § 72.

Sic opium somnum, ut plurimum adducit, quod tamen non semper contingit; nam si opto in infirmioribus nobiliorisque naturae individuis utatur, facili negotio furorem incitat. Longum et supervacaneum sane foret omnes tum veterum, tum recentiorum inter se discrepantes sententias dinumerare de remediorum virtutibus, ac de eorum utendi ratione. Ego medicinae primordiis extremis tantummodo labris madidus nequeo certe per materiae medicae latebras ac ambages poculis majoribus prolutus libenter, et cupide comessatum ire.

Interim cum remediorum effectus neque cum acceptis doctrinis congruere, neque vulgatis observationibus, ac experimentis respondere cognoverint, nonnulli inconsulto alia post alia, aut multa simul permixta adhibere consueverunt; alii vero magis consilio praecipites tuta et vulgaria remedia detrectantes ignotis, violentis, periculo plenis fidem omnem praestarunt, quibus morborum naturalem cursum miris in modis turbando sanitatem quandoque obtinuere. Sunt etiam et nostra aetate qui posthabitis probatissimis remediis novum qualecumque vel ex natura sua, vel ex illius compositione ut inventi gloriam assequantur in medium proferunt funera accersendo. Horumne vestigiis insisteremus, qui non dubitant violentiora adhibere pharmaca, quibus ita movetur corpus et concutitur, tantique concitantur impetus, ut vitae discrimen immineat? Aliquando profecto hac medendi ratione retunditur morbi ferocia, ejusque fomes evellitur, sed

crebrius infelicissimi aegrotantes ad ultimam rerum lineam ducuntur. Ubique jam luce clariora sunt damna, quae nuperrime minus cautis contigerunt ex usu Elixir Le Roy. Hinc quid mirum si praepostera grassante medendi ratione subvertantur sancitae oeconomiae animalis leges, et atrox mortalibus incumbat morborum cohors? Remediorum doctrina suo sibi marte stat, sed per impudentem nonnullorum imperitiam in dies singulos labefactatur. Non mediocris itaque, quin imo funestissima perstat difficultas in remediorum virtutibus cognoscendis ob allatarum considerationum negligentiam, et ambiguam atque occultam morborum naturam. Quamplura habentur nevrosium potissimum, aliorumque morborum diversa et prorsus contraria genera, quae symptomatum similitudine quam maxime congruunt, natura vero differunt, ita ut ad hujusmodi morbos plurima veluti certa praedicentur remedia dissimilibus et saepe adversis praedita facultatibus, ac propterea quae aliquando utilia extiterunt, alias valde noxia experiuntur. Meminisse tandem juvabit quod plerique vel aliquos morbos cum gravioribus aliis sive per ignorantiam, sive per negligentiam, fortasse etiam ad famam sibi acquirendam confundunt, vel illos in conclamatos reponunt, qui haud magno negotio sanari possunt, et hinc par allata remedia aegros sanitatem recuperasse asserunt, qui solae naturae officio convaluerunt. Num quae sit remediorum in homines agendi vis atque ratio, plane cognoscere sibi persuadebunt medici? Quae cum ita sint, facile pa-

a

tet quantum a veritate aberrent qui remediorum virtutes cognosci jam posse opinantur. Medicamentorum effectus ex plurimis pendent, quae singula cum in diversis individuis non plane sint eadem, quin imo cum plerumque inter se discrepent, ita quod ex illorum omnium societate conficitur varium et incertum est: quare ex iis quae aliquando evenisse cognoscimus, nobis haud semper fas est de illis quae in posterum fiant, judicare.

Quo igitur vergere debent tironea in re tanti momenti, ac in tanto sententiarum discrimine, ubi perraro verae ac solidae latent doctrinae?

Si summos tum praeteritae, tum nostrae aetatis auctores in medicina facienda clarissimos considerare velim, non me latet ipsos nil in usum deducere, quod observationibus ac experimentis sedulo institutis plane confirmatum foret, atque in remediorum praescriptione castigatissimos esse, et tantum paucis atque vulgatioribus uti pharmacis: est enim auxilii bonitas simplicitate censenda, quum periculosa ex ubertate medicina sit. Qui hypotesibus tantum ac systematibus indulgent flocci facientes veterum observationes e veri specia deficiunt, nec aliquid boni, nec ullius in arte frugis habent adeo, ut nihil momenti medicae adferant scientiae.

Quidquid ad rem medicam spectat (1), exponi debet ea simplicitate, qua sensibus ab ipsa natura revelatur; nocet omnis lactorum immutatio,

(1) Boerhaave de studio hippocratico.

obest addere aeque ac detrahere. Solus qui nulli opinioni serviens, omnique praejudiciorum amore vacuus invenitur naturam ducem sequi par erit. Inter veteres, teste summo Boerhave, qui ad veritatis sanctitatem sit castigatus procul dubio recenseri debet Hippocretes, qui sane mire nitet puritate.

Quae sint, quae fuerint, quae venture omnia in qualibet aegritudine referre datum fuit oculatissimo illi naturae contemplatori. Caeli tempestates, aeris vicissitudines, regionum situs, telluris naturam et exhalationes, aegrorum sexum, aetatem, temperamentum, mores, officia, uno verbo omnia, in quorum nexu versatur organismus humanus naturae penicillo describere curavit. Nulla in applicandis remediis fuit illi temeritas; obtemperans morbo ei imperat, pauca sed certa et apta remedia inveniens. Quidquid nocere et prodesse tum per artem, tum per casum rimatus, postquam annosa et quotidie exculta munivit experientia, ac eventuum felicitate comprobavit, nobis tradidit. Haec vera est aegrotis succurrendi via, una haec utilis, imo prope divina quam calcavit, quam nobis praemonstravit incomparabilis auctor, cujus medicinae arcena plurium saeculorum examen sustinuerunt (1).

Repetitam atque confirmatam ubique invenimus hujusmodi doctrinam, si Grajos medicinae cultores, si Romanos, si Arabes consulamus, qui lingua solum usi sunt variata. Ad hanc igitur acce-

(1) Oratio tertia de repurgatae medic.

dere oportet scaturiginem, nam qui ab hac, quae una semper est, deflectunt, innumerabiles dolos, semperque novos supervacanea offendunt diligentia. Et hic notandum interest, quod illi qui in quaestionibus dilucidandis, ac in systematibus erigendis peritissimi habentur, adversis avibus ad aegros manum admoverunt. Hippocraticae castitatis observatores, et ex ipsius doctrina sapientes nonnulli cum ex veteribus, tum ex recentioribus enumerari possunt clarissimi viri uti Sydhenam, Fernelius, Baglivius, Tortius, Burserius, aliique, qui ad premenda tanti hominis vestigia toto animo incubuerunt.

Ad medicam virtutem in re aliqua detegendam atque confirmandam occurrere debent occasio, ingenium, patientia, studia, experimenta diversis temporibus, variisque in locis instituta, comparationes et cetera alia praesidia, quae ad hanc rem conferunt, quaeque plerumque desiderantur. Tali pacto praedicatae nonnullorum remediorum virtutes certe corruere debuerunt, ex eo quod defuere et in periculis instituendis ingenium, et in faciendis diligentia, et in perscrutando perspicacia, et acre in concludendo judicium.

Proprio pariter lapsae sunt pondere variae theoriae, quae a medicinae incunabulis usque ad nostram aetatem diversis temporibus sunt dominatae, nam hypotheticis, et minime observationibus ac experientiae consentaneis sustentabantur fundamentis.

Hisce fidendum est medicamentis (1), quorum

(1) Dalla Decima ibidem.

facultates adeo certis firmisque fulcitae sunt periculis, ut neque aetate, neque ulla unquam opinionum varietate deleantur, aut obsolescant.

In praecipiendis remediis (1) simplicitati potissimum est studendum, dum variarum rerum luxuria ignorantiae potius, quam doctrinae specimen exhibet. Ratum manet apud emunctae naris medicos quod inter ea, quae iisdem pollent viribus simpliciora pro tutioribus semper habeantur, dum rara saepe arduis elaborationibus adulterantur, ac proinde inertia et noxia deprehenduntur.

Pauca requiri medicamina uno ore fatentur principes medicinae cultores, quibus solemne est cunctari, et supersedere, et summus Baglivius dum medicinae studiosos hortatur, ut sibi a multiplici librorum medicorum lectione caveant singulari eloquentia scriptis reliquit: » Medicus (2) naturae minister et interpres quidquid meditetur et faciat, si naturae non obtemperat, naturae non imperat ». Nemo certa in dubium revocabit quod teneantur medici spontaneum naturae motum caute dirigere vel vitiosa et inchoata ejus munia opportunis auxiliis explere et perficere.

Ineluctabile malum aegris incumbit, si quidpiam medicus contra naturae leges suscipiat, morbosque hostili impetu, hac reluctante, aggrediatur. Neminem fugit plures aegrotantes post exhaustam medicorum scientiam solo naturae be-

(1) Lieutaud ibidem.
(2) Georgii Baglivi de Praxi medica lib. 1.° caput 2.

neficio convaluisse: vae porro infirmae humanitati ni natura victrix morbos, et noxia pharmaca superare queat. Caute profecto cum remediis mercari expedit, cum pro certo haberi debeat quamplures esse aegritudines solis naturae viribus judicandas, quae vero ab intempestiva vel praepostera cura exacerbari, imo et lethales evadere possunt. Perspicuum enim est naturam esse optimam morborum medicatricem, et frequentiores affectus ipsi commissos sponte sanari: in aliis vero haud inutilem opem conferre artis praesidia, dummodo lenta exhibeantur festinatione (1). Vis naturae medicatrix summo est adjumento quotiescumque non solum morborum causas et effectus per se tollat, verum etiam medicorum errores feliciter corrigat. Quis enim affirmari posset quum morbus quilibet prospero cessaet eventu, id adhibitae curationi esse tribuendum? Si aegritudines attente considerentur, eaque opponantur remedia, ac ea utamur methodo, quam repetita adprobarunt pericula, tutiori ducimur via; natura enim in suis operationibus fere ejusmodi esse solet.

Haud recte igitur oblivioni traduntur medicamina, quae suas exerunt vires quin ullo modo pateat eorum agendi ratio: nemo sanae mentis ea rejiciet, quae longa veterum experientia utilissima comperta sunt, et quorum certitudinem plurium saeculorum observationes confirmarunt.

Quamvis non omnia, quae antiquorum tradidit

(1) Brera in eodem praefat.

sapientia certa sint, tamen veterum practicorum doctrinae quasi cardines considerari debent, quibus sublatis, omnis prorsus tollitur observatio atque experientia. Non est propterea quod ad contemptum et oblivionem ceterae addicantur disciplinae, quae ad artis perfectionem consequendam quam maxime conferunt; sed cavendum est ne harum singularum amore devincti a severa plenaque taedii ac sollicitudinum, observationis et experientiae gravitate avocari patiamur. Per eorum vestigia hinc non est incedendum, qui per summam temeritatem cuncta respuunt, quae ab eorum distant aetate et sententia. Quoad nova remedia contra, de quorum viribus nondum constat, maxima cautione opus est, et non nisi repetitis pluries atque pluries a clarissimis viris experimentis fidere debemus, ne fallaci decipiamur specie.

Rationalem medicum oportet, ait Burserius (1), indicationibus scite praefinitis simplicia medicamenta prudenter accommodare, et si compositis opus sit, talia conjungere et commiscere, quae non solum peculiari morbo ejusque causis, verum etiam aetati, sexui, regioni, anni tempori aliisque circumstantiis conveniant.

Bononiensis universitatis ornamentum praestantissimus Tommasini (2), quamvis theoriae contrastimuli addictus, ejusque illustrator haec habet;

(1) Burserius in praefat. ad instit. medic. pract.

(2) Tommasini de congruentia et discrepantia inter Anglic. et Ital. medic. rationem.

„ Observationi et experientiae, non theoriae consertarium esse debet quod traditur de medicaminum virtute: hocce pacto medicamenta secernenda sunt diversis oppositisque viribus praedita. Non alia ratione diversum obtinuere locum opium, muscus, aether ex una parte, nitrum, acidum vitriolicum, potiones salinae ex altera, quod probatum est observatione vulgari, ac gravissimorum virorum confirmatum experimentis.

Ex dictis satis superque constare arbitror densis quidem tenebris magnaque impedimentis remediorum disciplinam irretiri, quae tamen multa nobis praesidia suppeditabit, quibus si recte et caute utamur, magnum ex hoc studio emolumentum in medicina facienda percipere possumus, ac tutius errores vitare, si praesertim a via nunquam declinemus, quam nobis eximii viri splendidissimis praemonstrarunt exemplis.

Hisce de medicamentorum usu summatim ac breviter animadversis, spero me non inutilem operam lusisse, si,vestris, praestantissimi Professores, imbutus praeceptis neotericorum doctrinas, humanique ingenii progressus nullo praeoccupato animo perpendens hoc mihi sat esse duxi consilium, me aegrotantium saluti pro viribus prospicere si paucis utar remediis, si in id omni sedulitate incumbam, ut morbi cursum attento observem animo, et naturae conaminibus opportune quam paucioribus et simplicioribus auxiliis possim, opituler, facultates ambiguas, quae haud bene in aperto sunt, summopere veritus alta praefigens mente quod pharmacorum cujusque generis pro-

fusio reprobari debet, ne cuinam ex usurpatis medicaminibus tribuendus sit effectus, plane ignoretur, naturaeque vis obruatur, et quam doctrinam ad hominum salutem comparatam illam potius ad interitum sibi confixisse medici viderentur.

Reliquum nunc est, ut quantas maximas possum vobis gratias agam, veneratissimi Professores, qui me cum antea perhumaniter habuistis, tum etiam ipso hoc die, et vestra praesentia honestare, et patientia sustinere voluistis.

29v

THESES

I.

In plurimis morbis est medicorum nullam facere medicinam.

II.

Ad impediendum in puerperis laetis secretionem decocta aperientia noxia magis, quam utilia perpendi debent.

III.

Pulsus arietantes, et sanguinis crusta pleuritica non semper de phlogoseos praesentia deponunt.

IV.

Ad debellandas febres perniciosas cortex peruvianus aliquando frustra in usum deducitur.

V.

In peripneumonia, cum morbus ad suppurationem vergat, cortex peruvianus accommodatum sistit remedium.

VI.

Amaurosis saepe saepius idoneae curationis methodo feliciter cedit.

VII.

Infusus digitalis purpureae sub forma collyrii ad infringendam morbosam oculorum irritationem maxime conducit.

VIII.

Morphina sub forma linimenti usurpata non solum oculorum dolores compescit, sed lymphaticae ac serosae effusionis resorptionem promovet.

99 938273

300